

DISSERTATIO PHYSICA ET MEDICA
INAUGURALIS
DE
CONGELATIONE, FIGURIS NIVIUM ADMI-
RANDIS, RERUM CONGELATARUM
ET FRIGIDARUM NOXA AC
SALUBRITATE.

Q U A M
ANNUENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO
Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,


D. ADRIANI VAN ROYEN,
*MEDICINÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS
UT ET BOTANICES IN ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARII.*

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu & Nobilissimæ
FACULTATIS MEDICÆ Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

*Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examini submittit*



JOHANNES NETTIS, Almeriano-Batavus,
Ad diem 27. Junii 1742. Hora locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JACOBUM VAN DER KLUIS, PETR. FIL. 1742.

238
24.0
18

DISSERTATIO PHYSICA ET MEDICA
THERAPEUTICA

DE

CONCENTRATIONE, HOURS MINIMUM ADMI-
LUNDIS, RERUM CONCENTRARUM
ET FRIGIDARUM NEXA AC
SUPERIORITATE

694

ANNUNTIATE DEO TERRITORIOM MAXIMI
ANNALE MAXIMI REGNI

D. ADRIANI VAN ROYEN,
MEDICINA DOCTORIS, ET UNIVERSITATIS
AT THEATRICO IN CIVILI LIBERO
PROFESSIONIS ORBIMENTA

MCXIIII

ACADEMIAE SENSATAE ACADEMIAE GENEVENSIS ET VENDEMONDI
FACULTATIS MAGISTRAE DILECTAE

PRO GRADU DOCTORATUS

COMMUNIQUE IN MEDICINA HONORIS ET LIBERITATIS
HONORIS ET LIBERITATIS
TRANSMITTENTE ETAMINUS LIPSIENSIS

JOHANNES NETTIS, VENDEMONDENSIS
AC MUNICIPIA VENDEMONDI

ACADEMIÆ SATURNI
AB IOACOBUS van der KELIS PETRI LIPSIENSIS



LECTURIS.

DN Dissertationem Inauguralem hancce Materiem insolitam eligendi causa fuit, quod non duntaxat observaverim Anno 1740 Nivium figurationes diversas, sed & attenderim ad earum Geometricas formas, quod & quibusnam angulis, ac lateribus &c. donatae erant particulæ minores, ex quibus variae Nives constant; nescius num id cum curâ à Philosophis sit factum, vel cui usui postea esse possit, sed probe sciens duobus ultimis hisce seculis scientias magnos fecisse progressus ex accuratis Observationibus & earum Communicatione cum Publico; multaque adhuc abdita & incognita fore, nisi Experimenta rite instituta & scriptis mandata essent.

Methodus membra, frigore gelido conglaciata tuto citoque regelandi, humorum in iis circulationem redintegrandi, eorumque gangrenam & Sphacelum præcavendi, in hisce pagellis adumbrata, licet non sit omnino nova, tamen, ut incautus infastusque remediorum calidorum applicandi usus, qui à longo tempore invaluit, in desuetudinem abeat, latius spargimeretur.

Conjunxi Physicam cum Medicâ consideratione hanc ob rationem, quia Medicina Physics pars meritò audit; quia ipsa rerum Naturalium, earumque proprietatum ac operationum scientiâ, nec non Legibus Mechanicis, Hydraulicis, aliisque

A

scien-

234 L E C T U R I S.


scientiis & Artibus, ad Physicam pertinentibus, uti firmo, inconcufo, durabili, immutabili Fundamine inniti hocce tempore jure summo existimatur; & haec Artes ac scientiae, inter se esse arctissimo & quasi sororio vinculo cohærent; & augmentum unius ad incrementum alterius contribuit.

Hisce imbuto, quod Via, ad Artis & usus Medici Penetralia ducens, sit secura, facilis, & brevior quam Ageometris, exemplo suo monstravit magnus Medicinæ Restaurator Boerhavius, qui judiciosa Veterum Medicorum iterata Lectione, Meditatione; Legum Mechanices & Hydraulices Applicatione ad experta & percepta, & ad Mechanismum corporis Humani viventis; nec non improbo Labore & perspicaci Ingenio, solus absque Duce ad Scientiae Artisque Medicæ fastigium pervenit, & Medicinæ Systema durabile ac eternum condidit, in hisce nihil humanâ Industriâ inaccessum, nihil volentibus arduum esse, ejusque ductum & Vestigia qui sequitur, tuto incedere, indubitate probans.

Medioburgi Zeelandiæ
Anno Æræ Christianæ

1742 ¹¹ d.
Juny.

D I S-



DISSERTATIO PHYSICA ET MEDICA
INAUGURALIS
DE
CONGELATIONE, FIGURIS NI-
VIUM ADMIRANDIS, RERUM
CONGELATARUM ET FRIGIDA-
RUM NOXIA AC SALUBRITATE.

§. I.



er, terraqueum Globum veluti nucleum intra se includens, superficië ejus ubique contiguus, unà cum eo æquabili motu circa axem intra XXIV horas libratus, pondere suo omnia inferiora premens, ad altitudinem hactenus incognitam, nec ex luce Crepusculi utriusque reflexâ (a) ob varias reflexiones & forsitan variantes refractiones, nec ex decrescente altitudine Columnæ (b) Argentivivi in tubo vitro Torricellano contentæ, inque adscensu montium ad eorum altitudinem indagandam

(a) Videatur J. Keil de Crepusculis & Syderum Refractiōne in Introductionis ad Astronomiam Lectione XXI. & Varenii Geographiæ Generalis Sectionis 6. Cap. 19. Propositio XXX, XXXVII, & XXXVIII. (b) Videas Jurin in Appendix ad

DISSESSATIO PHYSICA ET MEDICA

dam adhibitæ, certò definiendam, extensus; pellucidus, fluidus, & præ omnibus cognitis rebus maximè elasticus, vaporum, fumarum, exhalationum, ex aquâ & omnibus corporibus terrestribus, fluidis atque firmis, oleosis, sulphureis, salinis, in sublime elevatorum receptaculum est; atque inde *Atmosphæra* dicitur.

§. 2. Nunquam in perfectâ quiete constitutus Aér perpetuo agitatur motu, atque non tantum ipse calore ac frigore maximas alterationes expansionis & condensationis subit, verùm etiam omnia, quæ actione ignium, calore Solis, ac fermentatione elevata sunt, ac in ipso continentur, iisdem vicissitudinibus afficiuntur. Venti seu rapidi aëris motus vapores & exhalationes ad sublimiora eveniunt, vel ad inferiora deprimunt, vel ita propellunt ut ferè æqualem à subjectâ ipsis superficie Globi terraue distantiam retineant; rariores quandoque comprimunt, densiores distrahunt & dissipant, alios aliis miscent: Calor intensior densiores expandit, rariores dispergit, quosdam effervescentes incendit, & magno cum frigore disjicit: Frigus rariores, partesque aqueas, ex calidiori tractu delapsas, condensat, vel etiam coagulat, atque in corpuscula dura, elastica, vertit: Quin & ipsa Aqua calore & frigore iisdem alterationibus obnoxia est, ac Vapores ex eâ elevati patiuntur.

§. 3. Quæ amissâ fluiditate, gelû indurata & concreta sunt, variis nominibus à se invicem distincta; Glacies, Grando, Pruina, Nix, appellata; in hōc convenient, quod constent eādem Materie, nempè partibus aqueis, frigore intenso accedente, congelatis; in solidiores ac immobiliores partes Crystallorum ad instar conversis; tumque majus spatium quam ante congelationem occupantibus, scilicet toto earum volumine specificè leviore facto: in eō sita est illorum Differentia, quod Glacies sit Aqua ipsa concreta; quod Pruina sit Vaporum ex aquâ elevatorum, vel Nebulæ frigore condensatae, & corporibus terrestribus adhærentis concretio; quod Grando quælibet sit aquæ pluvialis gutta in lapsu ex aere in glaciem conversa; & Nix constet ex guttulis aqucis exiguis inter decidendum ad se invicem conglacatis.

§. 4. Nix & Grando differunt à Nubibus, quæ licet plerumque

Varenium à pag. 17. ad pag. 24. editionis Cantabrigiæ 1712. If. Newton in Principiis Philosophiae Naturalis Mathematicæ Libri III. pag. 470. editionis Amst. 1723. P. v. Muffchenbroek in Additamentis ad Tentamina Florentinorum, Partis I. pag. 55, 56.

què appareant albæ non tamen pro nivis grandinisve Ærariis (*c*) sunt habendæ , imò neque ex nive aut grandine constant , sed ex vaporibus aqueis in sublimem aëra evectis (*d*) , in eo suspensis , aërisque motu hinc & indè delatis : & Nubes non differunt à Nebulis , nisi quòd Nebulæ superficie terrestri aliquandò incumbant , inque iis tum versemur ; Nubes verò sint Nebulæ altius in Atmosphærām evectæ , & extrinsecus à nobis visæ . Attestantur id ipsum Viatores , & Viri eximii , Philosophiæ Studio dediti atque illud experti , qui adscendentes clivos montium , nubibus (sicuti infra constitutis apparebat) conectorum , ad eas accedentes , easque pervadentes , se per nebulas fuisse progressos ferunt (*e*) . Comprobant id ipsum etiam continuæ prominentiarum & formarum apparentium & externarum nubium , quamvis non celeriter motarum , variationes . Ex earum splendido alboque colore inferri haud potest ullâ ratione solidâ , nubes pro congregatōnibus nivis aut grandinis esse habendas , quia quæ modò alba atque splendens apparet , mox rubra , aurea , flava , cœrulea , nigra , ob varias refractiones & reflexiones Lucis Solaris à superficie nebularum externâ ad Spectatoris oculos , conspiciatur .

§. 5. In glaciem concretorum Loco , Materiâ , Convenientiâ , ac Differentiâ quâdam (ut appellationum confusio vitetur) indigitatis , ad eorum causam recensendam me converto . Congelationum omnium Aëris vel Atmosphæræ frigida constitutio a quibusdam Philosophis ut unica vel primaria , ab aliis ut antecedens & prædisponens duntaxat causa habetur . In eô convenientiunt quòd frigidus aér aquam & vapores ad congelationem disponat : in eô discrepant , quòd Quidam frigus solam atque unicam causam Congelationum agnoscant ; quòd verò alii putent præterea iis aliquid accedere & misceri , unde oriatur effervescentia , exhalatio vaperum major , fixatio ac Crystallisatio partium . Ad aëreum frigus quòd attinet , contrarium est Atmosphæræ constitutioni calidæ , vel ab incensis ignibus , vel potius ab actione radiorum Solis , effluviisque ignitis , quæ continuo & celerrimo motu particulatum minimarum inter se forsan agitantur , excitatæ ; unde partes Aëreæ in omnes dimensiones expanduntur , atquè agilissime

(c) Jobus cap. 38: 22. (d) Defagulier de Vaporum in Aëra adscensu ac suspensione , in Exquisitis Dissertationibus Philosophicis , Tomi primi parte secunda pag. 440. Be'gice editis Amst. apud Jf. Tirion.

(e) Varenius , Libri 1. Cap. 19. Propositione XLI. mihi pag. 250.

mē inter sese moventur , & corpori nostro viventi applicatæ li-
quores ad celeriorem motum & exhalationem majorem incitant ,
ac sensum caloris nervis , atque cerebro inducunt ; tantoque ma-
gis quanto diutius Sol super Horizonte moratur ; quanto plures
radii lucis ad terræ subjectæ superficiem pervenient ; quanto pau-
ciores à particulis terrestribus & opacis in aëre volitantibus re-
flectuntur ac repercutiuntur ; & per quanto minorem Atmosphæ-
ræ tractum feruntur ; seu quanto propius incolarum Vertici me-
dio die Sol accedit . (unde , ut in transitu dicam , quum per spa-
tium XIV dierum nostrorum Sol unam Lunæ faciem , & per
æquale tempus dein alteram à nobis aversam , illuminet , modo
dicta consideranti constare facilè potest in Lunâ fervorem intensissi-
mum , corporibusque , qualia nostra sunt , intolerabilem , re-
gnare ; quid igitur de Lunicolis sentiendum ?)

§. 6. Ergò frigida aëris talis est constitutio , in quâ particulæ
igneæ Solares sunt pauciores , ipsæque Aëreæ quietiores , que
applicatæ corpori viventi , cuius humores magis calent ac mo-
ventur , sensum frigoris & minorem partium motum inducunt .
Omnis materies corporea , fluida atque firma , quum aptitudinem
ad motum , & primum motum acceptum debeat unico Enti Opti-
mo ac Potentissimo ut primæ ac primariae causæ ; atque proximis
motūs causis sublatis suâ sponte quiescat ; unoque corpore moto
aliud non raro moveatur ; & quiescente uno proximum
etiam simul quiescat ; hinc concludi non immeritò potest , aëreis
particulis non valde motis , non valde moveri vapores in aëre
sublatos ; partesque igneas summè mobiles sese ex aquis & aqueis
vaporibus extricare , inter partes aëris ejusque tractus majores se-
se dispergere , si ibidem pauciores contineantur : id est , aërem
frigefactum frigus communicare posse vaporibus atque aquis ,
primò quidem earum superficie , deinde profundius penetrando
toto volumini : hinc densatis aëris partibus simul aquæ & vapo-
rum partes condensari , in minus volumen contrahi , ad motum
minus promptum fieri , ad congelationem , seu firmiorem parti-
cularum nexus & cohæsionem , ad minorem aptitudinem par-
tium ad motum , disponi .

§. 7. Frigus aëris verò communicari aliis omnibus corporibus ,
fluidis atque firmis , aëri contiguis vel perviis , observationes & ex-
perimenta comprobant , quibus liquet durissimos lapides , crystallos ,
gemmas , ne Adamante quidem , omnium durissimo , excepto (t),

com-

(f) Vide H. Boerhaave in Elementis Chemicis Parte 1. pag. 146. edit. Lugd. Bat.

compactissima metalla (g), accidente frigore in omnes dimensio-
nes contrahi, æquè ac liquores quoſcunque: idque Ham-
bergerus (b), Verdries (i), aliique Philosophi non infimi sub-
fellii ad crystallisationem non tantum salium, sed etiam ad aquæ
& vaporum congelationem efficiendam, sufficere putant. Claris-
simis verò Florentinæ Academiæ Sociis, P. v. Muffchenbroek,
aliisque Viris summis, expertissimis, aëris frigus, intensius licet,
ad congelationem producendam non esse sufficiens; sed aquæ &
Vaporibus quid subtile, forsan salinæ nitrosæ indolis & in per-
paucâ quantitate, accedere & immiseri verosimile videtur; quô
particulæ, anteà mobiles, figuntur, sicuti clavis adactis globuli
& ligna connecti & firmari possunt.

§. 8. Argumenta plurima, quibus id concludit Vir Clarissimus &
Expertissimus P. v. Muffchenbroek videri possunt in Additamentis
ad Partem primam Experimentorum Academiæ Florentinæ à pag.
183. ad pag. 192. unum atque alterum attulisse, ne Dissertatio
hæcce mihi propositæ brevitatis excedat limites, sufficiet. Non
tantum caloris imminutionem, ignearum particularum avolationem,
partium aquæ quietem & condensationem ad congelationem non
sufficere, sed & præter aëris, liberum accessum, communicatio-
nem alicujus materiei ex aëre cum aquâ requiri Vir Clarissimus
& in judiciosè capiendis experimentis solertissimus judicat, quia
quandoque gelat aëre minus, quandoque regelat aëre magis vel æ-
què frido existente; quod aliter concipi non posse videtur nisi aë-
re referto vel destituto particulis, præter frigus etiam gelu & con-
gelationem efficientibus: quia aqua in lagenâ clausâ aliquando non
in glaciem convertitur, quæ epistomio ablato, & aëris commer-
cio accidente, statim tota indurescit; quod atramento scriptorio
& aquæ destillatae Menthæ accidisse memini: quia aqua glaciæ &
nivis regelataæ extracto foliorum Theæ, & adustarum fabarum A-
rabicarum Koffy ineptior aquâ pluviali, & ingratioris saporis non
nisi diurniore coctione emendandi, deprehenditur: quia Ventus
in tractu terrestri exortus præ vento à mari delato, & nihil salis
indè adferenti, acerrimum frigus & intensius gelu advehit præci-
puè noctu in Regionibus, quarum terra montesque sale nitroque
abundant, licet interdiu Sol ardeat, visque caloris non diu tolera-
bilis regnet: quia omnia salia, nivi vel glaciæ rasæ mista, vasique
aquam

(g) P. v. Muffchenbroek in Additamentis ad Tentamina Florentinorum Partis II. pag.
47. ad 55. (b) in Elementis Physicis à §. 494. ad §. 520. (i) Physicæ pag. 136.
ad pag. 143. edit. 1735.

DISSERTATIO MEDICA ET PHYSICA

aquam continent circumposita congelationem aquæ artificialem adjuvant, & frigus intensissimum ope spiritûs Nitri rectificati potest produci; vti & mihi ex Experimento & communicatione D. G. Fahrenheitii comptum est.

§. 9. Si experimentis constaret, non duntaxat nivis ac salis miscelam, aquæ circumpositam, ejus congelationem producere, sed etiam ex nive aut grandine modo deciduis (§) sal extrahi posse, vel miscelam portionis salinæ indolis, ut salis Ammoniaci, nitri, boracis, vitrioli, marini vel alterius cum aquâ ipsâ ejus congelationi conferre, tum forsè nullus dubitandi relinqueretur prætextus: econtrà verò salia aquæ mixta congelationem retardare videntur (k), & aquam marinam aquis insulsis tardius in glaciem abire inficiari nequit, an ob spiritum in sale contentum, uti Varenio (pag. mihi 113.) placet? Aliquid salinæ vel alterius materiæ vaporibus ac aquæ accedere, iisque immisceri undè congelantur, num ex Crystallis seu figuris concretorum mirè exactissimis, ac quasi Geometricis, argumentum deduci possit (quamvis id mihi ob rationem in recensione phænomeni expansionis aquæ in glaciem abeuntis dam (§. 17.) non solidè concludi posse videatur) aliis Rerum Naturalium contemplatoribus curiosis judicioque penetranti pollentibus, relinquendum putavi.

§. 10. Descripserunt vel depinxerunt minùs magisque exactè varias Nivium figuraciones, Keplerus de Nive Sexangulâ, Olaus Magnus (l), Cartesius (m), ex eo Regius & alii, Bartholinus (n), ex eo Bonannus (o), Scheuchzerus in Physica Sacrâ, Hooke in Micrographiâ, Uratislavienses Historiarum Physico-Medicarum collectores, qui referente M. A. Cappeller in Prodromo Crystallographiæ (p) 105 Nivis varias & admirandas configurationes Publico communicarunt, tum etiam Cassinus (q), P.v. Musschenbroek, in ejusque Elementis Physicæ (*) L. Stokke M. D. figuræ xx Tabulæ xxiv & præterea Cl. Kundmannus plures. Pulcherrimæ, admirabiles, politissimæ, nitidissimæ Nivium figuraciones, & eorum particulæ exilissimæ conspiciuntur non solùm oculo inermi, sed & armato microscopio, partium magnitudinem apparentem multùm augente.

§. 11.

(§) Bartholinus de Nivis usu pag. 40. & Ramazzini in Ephemeridibus. (k) Videatur in Additamento ad Tentamina Florentinorum Partis I. pag. 182. 183. Listeri Observatio, ex Phil. Transf. N. 167. (l) in Hist. Gent. Septentr. Libri I. Cap. 9. (m) de Meteoris Cap. 6. (n) de Figurâ Nivis. (o) Recreationis mentis & Oculi pag. 211. (p) pag. 15. (q) Cassinus, Memoires de l'Academie Royale, anno 1692. (*) editionis 1741. in 8.

§. 11. Quibusnam figuratis particulis concreta glacialia constarent, indagare aliquando ferebat animus invenienti (r) Stellam glaciei sex radiorum, iisque utrimque junctas strias longas, quæ, habentes cum radio cui erant junctæ angulos 60 graduum, ad utrumque latus particulis oblongis glacialibus mirifice ornabantur, in medio superficie aquæ pluvialis, dolii per ampli latera radiis non attingentibus; sed conamen frustrabat aqua stellæ exemptæ adhærens, statimque in glaciem abiens, undè figuræ partium conglaciatarum determinatae & exactæ incrustabantur. Cumque ex Comparatione stellæ glacialis, in superficie aquæ stagnantis concretæ, cum stellis nivalibus non incongruum videbatur existimare, partes glaciei minores eadem externâ configuratione gaudere ac partes minores nivis existente aëre frigidissimo; hinc exactissimè (quantum erat possibile) contemplari atque interim delineare opportuno ad id tempore figuras Nivium diversarum magis completas, non ita anomalias anno 1740 constitui.

Usus primùm Vitreis lentibus, utrimque convexis foci pollicis unius, vel & partium pollicis; dein adhibui Microscopium compositum, duobus tribusve vitris convexis differentium focorum & distantiarum instructum, qualium Inventor & ad Anglos transportator C. Drebbelius, Alcmarianus Philosophus, abs C. Hugenio (s), aliisque habetur; ab Anglis speculo concavo, infra Vitrum objectivum ad Lucem intensiore reflectandam posito, emendatum & ad majorem perfectionis gradum perductum.

§. 12. Sub coelo intensissimè frigido, in loco radiis Solaribus non illustrato, Figuratæ Nives, mox delapsæ, integræ, pellucidæ, non liquefentes, penicillo adhærentes imponebantur laminæ vitreas, cavebatur sedulò, ne manuum orisque halitus Nives attingere posset, ne earum subtiliores particulae liqueferent, ne calore minimo & liquatione anguli & latera figurarum evanescerent; atque, hisce cautelis & adminiculis adhibitis, admirabilis angulorum exactitudo, & laterum maxima æquabilitas & glabrities partium exilissimarum cuiuslibet Nivis observari atque delineari optime poterant.

Quædam erant spiculæ longæ ac teretes, quædam ad globosam figuram, minoribus globulis constantem, accedebant; Sed hæ, aëre ad regelandum disposito non pellucidæ sunt observatae: aëre gelido multæ tenuissimæ lamellæ erant sexangulares laterum æquarium

(r) 17 Februarii. Anni 1738. (s) in Dioptrica. pag. 170. edit. Amst. 1728.

10 DISSERTATIO PHYSICA ET MEDICA

lium & inæqualium, quales videri possunt delineatæ in Scheuchzeri Herbario Diluviano (*t*), & à Swedenborgio obseruatæ memorantur in Prodromo Princip. pag. 21; quales vaporum concretiones vi-di in lagenâ occlusâ, aquâ in eâ contentâ conglaciata, & quales Figuræ concretionum Vitrioli, Soudæ, &c. Salium, conspiciqueunt apud Leeuwenhoek (*u*), quem in delineandis pluribus minutissimis rebus naturalibus, microscopio contemplatis, præ quibusdam aliis fidelissimum atque exactissimum expertus invenio; atque etiam apud Cappeller in Prodromo Crystallographia (*v*); plurimæ Stellulæ Simplices constabant ex sex lamellis sexangularibus, oblongis, teretibusque; vel etiam ex sex radiis in apicem excurrentibus, quæ stellulæ ex sex rhomboideis particulis planis formatæ videbantur. plurimis stellulis adhærebant ad extrellum vel etiam ad utrumque latus radii cujusque plana sexangula æqualium laterum, vel sexangula oblonga; quædam sexangularis lamellæ æqualium laterum ornatæ erant in circuitu sex aliis lamellis ejusdem figuræ & magnitudinis, vel lamellis oblongis sexangularibus, iisque aliquando adhærebant aliæ plures vel pauciores: plurimæ sexangularis ornatæ erant sex radiis, iisque radiis affixæ erant lamellæ tenuissimæ itidem sexangularis æqualium vel inæqualium laterum, sed æqualium angulorum 60 graduum; iisque lamellis similes, aliquando majores, sæpius minores lamellæ adhærebant; quædam sicuti urbium fortalitiae diversa, ex spiculis longis sexangularibus & planis sexangulis æqualium laterum coagmentata, apparebant.

§. 13. Uno eodemque die, ac nocte, XV vel XX aut plures quandoque distinctæ nivium formæ reperiuntur, perhibente Olao Magno; imò currentis anni 1740 diebus 11, 12, 13, 21, 23, Januarii, 6, 23, 24, Februarii LXXX. variantes admirabilesque Nivium figuræ delineare & innumerabiles earum diversitates conspicer mihi licuit.

Quamvis innumerabilis figurarum Nivium diversitas codem temporis momento simul decidat, tamen particulæ minores, pro variâ earum ad se invicem combinatione admirandam & innumerabilem hancce figurarum Nivium Variationem constituentes, à me obseruatæ sunt sub paucis hiscè formis, nempe Parallelogrammi,

seu

(*t*) Tab. VII. fig. 1, 2. Tab. VIII. fig. 4. (*u*) In detectionibus figurarum salium, Belgice pag. 7. fig. C. & E salis Absynthii; p. 8. fig. B. C. D. F. aluminis; pag. 25. fig. C, D. calcis Leodiensis: pag. 35. fig. A, B. Soudæ Brittanicæ. (*v*) Tab. III. fig. 39, 40, 42.

seu quadranguli oblongi recti vel obliqui, Rhombi, Rhomboidis, Trapezii, vel in formâ sexanguli laterum æqualium vel inæqualium cuius anguli sunt 60 graduum, & particulæ haec sexangulares erant multò plures aliis modò nominatis.

§. 14. Licet Chrystallus Ysländicus & Regionum Orientalium, Lapidés pretiosi, pellucidi, ac colorati, seu gemmæ; quandoque regularibus, laevibus, planis, superficiebus; iisque quadratis, trigonis, rhomboideis, pentagonis, hexagonis, aliisque exactissimè terminatis, naturaliter conitare, & repræsentare parallelopipedum obliquum, cubum, vel corpus dodecaëdrum, eicofædrum, &c. deprehendantur (w), non tamen meris particulis aqueis, frigore intenso concretis, conitant, neque pro glacie indurata, exhalatis subtilioribus particulis, sunt habenda, quia nec calore nec igne liquefunt in aquam, sed contra in cineres & calcem rediguntur (x).

§. 15. Consideratis congelationum causis prædisponentibus vel & efficientibus, nunc quæ præcedunt, conjuncta sunt, & consequuntur aquæ & vaporum indurationem enumeranda sunt breviter. Præcedit congelationem Condensatio aquæ in minus volumen & spatiū, particulis aqueis ad se invicem magis accedentibus, quam frigoris effectum supra §. 3 & 6. innuimus.

§. 16. Conjunguntur, Attractione particularum major; ad motum promptitudo minor; crystallisatio, seu particularum cohæsiō firmiter; partium heterogenearum ex interstitiis mutatis expulsio & quarundam in vasorum medium coactio (y); aëris exinde extricatio; expansio in interstitiis majoribus; conjunctio bullularum plurium in unam majorem vel in cylindricas bullulas; præcipitatio salinarum partium ex aquâ marina congelandâ ad fundum (an inde glacies marina insulfissima (z)?) effervescentia quædam ob separationem aërearum particularum, collectionem in bullas, earum augmentum, ex aquâ (a) in atmospharam & simul aquearum partium quarundam sublationem; unde forsan fumus vel vapor inter congelandum à Florentinis observatus (b):

§. 17. Hisce accedit Expansio voluminis universi aquæ in majus spatiū ob validiorem partium attractionem & cohæsionem, & ob vali-

(w) Vide Hugenii de Lumine pag. 69. (x) Fromondus Meteorologicorum pag. 324. edit. Plantin. 1627. Tentam. Florentinorum Partis I. pag. 126. (y) Boerhaave Chemiæ Tom. I. pag. 725. Florentini Tentaminum Partis I. p. 182. (z) Verdiæ Physice p. 329. Secundum Boyleum & Borrichium. (a) Tentaminum Parte I. p. 147. (b) ibidem pag. 178.

Crystallisationem seu mutatam partium dispositionem in figuras planiores, oblongiores, angulares, majora interstitia constituentes, (sicuti in salibus crystallisatis & in concretionibus diversis crystallinis & sacchari canthi observantur) ad quam mutationem frigus disponit, hanc verò non efficit, quia frigore corpora plurima condensantur in minus volumen; partium verò ad se invicem accedentium attractio illam videtur efficere.

Attractio non pro chimærâ habenda, quoniam manifesto in electricis magneticisque corporibus appareat; in parvo magnete à me ipso armato tam valida conspicitur, ut eâ pondus, ipso magnetè vigesies quinques gravius, sustinere valeat; & major Magnes pondus 10 & quod excedit librarum facile retinere queat.

§. 18. Aquam expandi cum in glaciem abit, hinc superficiem planam glaciei sensim in gibbum tolli, volumen aquæ congelatae universum augeri & specificè levius fieri, autopsya testatur: glaciei enim frustum crassum in aquâ non subsidet, neque æque grave ac æqualis magnitudinis aquæ volumen, sed hōc levius parte fere $\frac{1}{5}$ observatur; & pro parte supra aquæ superficiem eminet: idque indubitatò liquet ex Montibus glacialis gentis magnitudinis, in Oceano Septentrionali fluctuantibus, ventisque & æstu maris hinc & inde delatis.

Volumen glaciei auctum & levius aquâ esse factum, non exinde duntaxat concludendum est, quod in illo apparent spatia glacie & aquâ vacua, quæ continent aëreas partes; quia hæc ipsa glacies, ignis calore in aquam liquata, atque iterum gelū induata, quandoque absque ullis bullis aëreis conspicitur; sicuti etiam aqua, ope antliæ pneumaticæ exactissimè, quantum fieri potest, ab aëre liberata & congelata, aquâ frigidâ nondum concretâ levior invenitur (*c*): sed conglaciatae aquæ volumen levius est ob Crystallisationes partium & interstitia majora, veruntamen visum fugientia; &què ac plures globuli plumbi, exigui & rotundi, minus spatium implebunt, quam iidem in crystalliformes massulas, in plana tenuia sexangula, vel figuræ sex radiorum, redacti.

Expansio voluminis aquæ inter congelandum est citissima, adeoque admirabilis effectus, tamque stupendæ virtutis, ut arborum truncos subito findat, vasa densissima metallica confringat, totasque domos sublevet (*d*). §. 19.

(*c*) Muffchenbroek in Add. ad Tentam. Part. I. p. 127. 135. 143. (*d*) Swedenborgius in Prodr. Princip. pag. 21.

§. 19. Quamvis aqua stagnans prius congeletur, quam fluens, aut continuò mota; quamvis quies æque ac frigus ad congelationem disponat; non tamen inter congelandum quies sed motus in aquâ apparet; sicuti ex vaporibus indè elevatis, ex bullis aëreis ad superficiem tendentibus, atque ex subitâ expansione & crebris ac celerrimis saltibus aquæ in glaciem concrecentis (*e*), liquet.

Glaciem ipsam non omnimodâ partium quiete gaudere manifestum est, quia bullæ aëræ primò minimæ sensim augmentur, & aliquandò pollicaris diametri evadunt; quia glacies ipsa continuò crepat, & plerumque magno fragore finditur; & quia ex congelatis vapores multi exhalant. Exhalatio aquæ gelido aëri expositæ à Perrault in Galliâ ferè tanta observata est quanta æstivis ardoribus esse solet, intra XIII dies aquæ quasi quartâ parte evaporatâ (*f*).

Nivem etiam plurimum exhalare tempore frigidissimo, cum Thermometra Fahrenheitii, H. Prins, atque meæ præparationis, liquore cœruleo vel mercurio impleta & æquè ferè mobilia, gradum 4 atque 7 demonstrabant, comperi inter figuræ nivium contemplandum, atque methodô supra descriptâ delineandum, quippe intra pauca minuta prima horæ sensim evanescabant non duntaxat subtilissimæ nivium particulae, verùm etiam nives ipsæ, nullo liquido, nullo vestigio, relictis.

§. 20. Ne color, pelluciditas, durities, elasticitas, aliæve Proprietates concretorum, glaciei, grandinis, nivis nos remorentrur, detineantque diutius, ad Effectus corum in Corpora Humana Viventia, respectu habito ad Physiologiam & Praxin Medicam Rationalem, progredior.

In antecessum animadvertendum est, Corpus Humanum Vivens esse coagmentatum ex partibus firmis atque fluidis: Firmas, pro variâ earum texturâ, cohæsione, atque usu, vocari Offa, cartilaginiæ, ligamenta, tendines, musculos, membranas, nervos, arterias, venas, vasa lymphatica, &c.: Fluidas verò, nempe sanguinem, lympham, chylum, bilem & reliquas, talia corporis contenta esse, quæ, ut Vita & Sanitas conserventur, progressivo ac moderato motu per Viscera & Membra ferri; vel & existen-

(*e*) Tentam. P. I. p. 147. (*f*) P. v. Muffchenbr. in Addit. ad Tent. P. I. p. 180. Verdries Physicæ p. 138.

existentes intra corpus in majori quantitate, excerni vario modo pro vario usu, debent: Viscera omnesque corporis firmas partes constare innumerabilibus vasis variæ flexuræ atque varii reptatûs; vasaque majora ex minoribus esse constructa; minimaque donari anastomosibus plurimis, ut retis texturam referant: Cunctem seu superficiem corporis externam, internam oris, tracheæ, pulmonum, Oesophagi, ventriculi, canalis intestinorum, externamque Viscerum, innumerabilibus millenis foraminibus esse pertusam, ubi vascula minima lymphatica Arteriosa desinunt, & venosa incipiunt, hiantibus osculis; exhalantibus illis sub vaporum specie humores tenuissimos (unde corpus humanum vivens calidum Atmosphærâ cingitur, æstate ad trium pollicum & ultrâ distantiam à cute extensâ); hisce verò vapores, quandoque odoratas, salinas, venenatas, subtile parts absorbentibus, atque intra corpus suscipientibus, sicuti ex Anatomicis inventis & præparatis Ruischii incomparabilis, & Clarissimi B. S. Albini, atque experimentis Bellini, Sanctorii, Hales, & Abr. Kaau, constare potest.

§. 21. Ejusmodi Corpori humano, viventi, calido, congelata externe applicata, vel internè intra illud assumpta, æquè ac aer gelidus & aqua intensè frigida, causantur varia mala; humorum, vasorum, capitis, pectoris, viscerum, articulorum, junciturarum morbosas constitutiones.

Glacies contusa, vel nix, parti corporis sanæ imposita, aer itidem humidus ac frigidus, oscula cutis constringit, perspiracionem minuit, humores à circumferentiâ corporis ad interiores partes & vasa majora pellit, quandoque eorum circulationem & motum particularum intestinum sistit, eos in concretionem polyposam vel glacielem coagulat; unde resistunt motui progressivo succedentium humorum, qui pressione cordis & contractione arteriorum vasorum tenuiora & debiliora vasorum latera extendunt; & hinc pressis vasis venosis, obstructiones, inflammations, tumores œdematosos, vertiginem, apoplexiā, arthritidem, hydropem, & quid non? efficere valent.

Valde frigida intus assumpta, ut aqua, nix, glacies adstringendo vascula excernentia Pharyngis & Oesophagi humores excernendos cumulant, affluentes fistunt, anginam, catarrhos, titillationem, pruritum, tussim molestam & convulsivam, sanguinisque stasin, concretionem, Inflammationem, dolorem in tunicis Ventriculi & vasis Diaphragmatis, quin & Asthma, Hydropem, Phthisin, Hecticam febrem (qualia æstate fervente ab ingur-

gurgitatâ intra corpus æstuans aquâ frigidâ sæpius eveniunt) inducunt (g).

§. 22. Aër itidem gelidus æque ac Ventus impensè frigidus & penetrans, præcipuè vento adverfo euntium intra pulmones admissus, pulmonum & tracheæ exspirabile inhibet, difficultem respirationem, tussim, coagulationem sanguinis, vasorum obstructiōnem in pleurâ, mediaстino, musculis intercostalibus, quin & in pulmonibus frequentè causando idoneus; undè circulatio sanguinis per pulmones impeditus vel omnino sublatus, sanguinis ad Cordis Ventriculum sinistrum affluxus nullus, proindè nec ulla expulsio in Aortam neque ad Cerebrum, nulla spirituum in nervos secretiō; quare animi deliquium, imminuta & difficilis respiratio, catalepsis, mors, succedunt (h).

§. 23. Ad animi Deliquium, anaesthesia seu sensum imminutum vel abolitum, catalepsin, & festinam mortem quòd attinet, quæ patiuntur quandoque per nives itinerantes, & altissimorum montium juga transeuntes, „Hispanis aliquandò transeuntibus ex „Nicaraguâ in Peruviam accidit, ut in summis montium inter „jeectorum jugis non pauci subitò expirarint, cum ipsis equis & „quasi gelu obriguissent, statuarum instar manserint immobiles. Licet adscribat Varenius (pag. 66) hanc Catalepsin & subitam mortem defectui aëris, qualēm respirationi pulmones requirunt, tamen (pag. 249) hanc rationem non videtur admittere: & non immerito forsitan, quia ob aerem in summis montibus leviorem, & ob pressionem ejus minorem quam in vallibus, aereæ particulæ intra omnes liquores viventium contentæ sese potius expandere, corpora equitum universa tumida fieri, vasa pulmonum ampliari, rumpi, hæmoptysis excitari, & spumans sanguis exscreari, debuissent (i). Melius intenso frigori aeris summis in montibus Catalepsis haec & mors Hispanorum & equorum adscribenda; quo humores pulmonum concrescebant, & circulatio per eos ac corpus fistebatur, accidente minore gravitate & pressione aeris, quam ad æquabilem respirationem, & interruptam sanguinis circulationem, requiritur.

§. 24. Nix etiam Itinerantibus plurimum infesta, tam splendore, quam exhalationibus penetrantibus, frigidissimis. Obcæcare ocu-

(g) Hoffmannus in Operum Tomo VI. pag. 273 §. 8. & alibi in Operibus.

(h) Boerhaave Chemicæ Tomo 1. pag. 192-194. (i) Derham in Physicâ Theologicâ, Belgicè, pag. 6, 7. Boyle in Novis Experim. Physico Mechanicis, p. 138.

oculos dicitur, nempè ob albedinem splendentem, & lucem coruscantem, à politissimis nivium superficiebus, præcipue Sole luctante, reflexam; unde oculi iris contrahitur, pupilla angustatur, & objecta, nive minus splendentia, apparent obscurius depicta in retinâ, utpote a nivium splendore plus satis illustratâ: id demonstrari potest in Camerâ obscurâ, & in Oculo artificiali, qualem in proportione Diametri quadruplò majoris quam Oculus humanus, à Cl. Muslichenbroek ex Petiti accuratissimis dissectionibus & dimensionibus descriptus (*k*), secundum propriam delineationem fieri quam exactissimè curavi: etenim pupillâ seu Vitro objectivo ad externa objecta, Luce Solari illuminata, disposito, in vitro retinæ vicem gerente objecta exactissimè & quasi vivis coloribus delineata apparent; quæ, vitro retinæ munere fungente candelæ vel Sblis lumine illustrato, vix vel saltem dilutè & non exactè colorata conspici queunt.

In transitu, quantum Lucis adferat Medicinæ Rationali, theoreticæ & practicæ, non duntaxat Anatome subtilius exculta, sed & Physica experimentalis & Optice, iis constare puto, qui nō rurunt quam facile & optimè Oculi constitutionis morbosæ, ut visus obtenebratio, imminutio, abolitio, vertigo, quin & naturalis senum & juniorum oculorum constitutio, Presbyopia, Myopia, & plura alia, concipi, locus cuiusvis proprius assignari, & in Oculo artificiali ad oculum demonstrari possint (*l*).

§. 25. Sanguine & Lymphâ circumferentiâ Corporis ad vasa interiora constrictione cutis & vasorum huic proximorum ob frigus aeris ac nivis exhalationes penetrantes frigidasque pressis; vi vitæ per arterias iterum & validius ad exteriora propulsis, & arteriosa minora extendentibus; (unde vasa venosa minora minusque elastica comprimuntur, & hinc solùm tenuiores humores exprimi in venosa vasa possunt) spissior pars obstrunctiones non tantum in articulis, & juncturis seu arthritidem, podagram, dolorem Ischiadicum, sed & in musculis, membranâ cellulofâ, quin & in oculi tunicis, retinâ, albugineâ adnatâ, in glandulâ lachrymali, subpalpebralibus, ut in-

(*k*) In Elementis Physicæ 1741. pag. 397. ad 402. & Belgicè 1639. pag. 567. ad 571.

(*l*) Pitcarnius in Dissertat. Med. in 4 à pag. 14. Cheseften in Anatomiâ, quartum editâ 1730, Tab. XXXIII. & XXXIV ubi figuræ ad pravas oculorum constitutiones, ut visus immunitiōnem, obnubilationem, & abolitionem, demonstrandas, delineatae sistuntur,

innominatâ à Whartono dictâ (m), & Meibomianis, quas seba-
ceas Morgagni existimat (n), in palpebris, tumorem, obstructio-
nem, inflammationem, Lippitudinem, seu seri acris fluxum mo-
lestum, cæcitatem efficere videtur; tantoque magis, quanto diu-
tius Oculi splendori lucis coruscanti, frigori aeris, irritationi ex-
halationum nivis sunt expositi: unde non mirum, quibusdam Cy-
ri militibus, per plures dies montes nive tectos transeuntibus, lippi-
tudinem vel cæcitatem accidisse.

§. 26. Experiuntur quandoque hieme Viatores inter nives buli-
miam seu famem & appetitum ciborum magnum, sive ob ventricu-
lum inanitum, sive etiam ob frigoris molestum in ejus tunicis inter-
nis sensum, quæ assumto pane, cibo, vino, sedatur (o).

Exhalationes frigidissimæ, & penetrantes pedum cutem condensant,
oscula vasorum excernentium obstruendo perspirationem in-
hibent, humoribus stasin inducunt, pruritum, rhagadas seu fissu-
ras pedum, perniones, atque eodem modo fissuras labiorum ma-
nuum causantur.

§. 27. Quandoque membra, ut nasus, mentum, aures, manus,
pedes, congelantur; sensus primum imminuitur, dein motus partis,
denique liquores in eâ concrescunt. Si ejusmodi membra congelata
ad ignem subito adhibeantur & calefiant, vasculis confractis, à
corpo separantur atque decidunt (p); retinentur verò & curan-
tur, prout in Russiâ, Siberiâ, Lapponiâ, Sueciâ, Norvagiâ in
usu est, nivi, glaciei rasæ, linteis aquâ frigidâ madidis ea impo-
nendo (q), vel fricando (*) leniter cum iisdem, aquâ marinâ, mu-
riâ (sicuti Piscatores in Oceano Boreali & Groenlandico assolent)
quibus plerumque, nisi gangrænâ vel sphacelo infecta sint mem-
bra, eorum sensus, & humorum circulatio restituitur; licet postea
analeptica, cardiaca, vires spiritusque suppeditantia, motumque
sanguinis augentia, non assumantur; & licet calidis & emollienti-
bus (r), (quæ in principio congelatis applicata nocere, regelatis
verò prodesse deprehensa sunt) membra regelata non foveantur.

§. 28. Eâdem Methodo perniones non nimis inflamatæ nec fis-
sæ brevi, tutò, optimè sanari dicuntur (s). Quid de Medicamen-

to

(m) Boerhaave instit. Med. §. 512. (n) Advers. Anat. I. §. 12. 22. edit. Patav. 1719. (o) Fromondi Meteorol. Lib. v. Cap. 5 §. 4. pag. 325. J. B. du Hamel Philosoph. Vet. & Nov. Tom. iv. pag. 288. edit. Amst. 1700. (p) Boerhaave Aphorism. §. 455. Hoffmannus Tomo vi Operum pag. 205. §. 12. J. B. du Hamel Philos. Tom. v. p. 190. (q) Boerhaave Aphorism. §. 454. (*) J. Clerici Physicæ Lib. v. Cap. 13. §. 63. (r) Boerhaave Aphor. §. 456. & G. van Swieten Comm. in Boerhavii Aph. §. 454, 455, 456. pag. 796. ad 799. (s) Junkeri Conspectus Chirurgiæ p. 109.

to speciali, nempe cinere combustæ pellis Leporinæ, applicato parti frigore adustæ (de quo Olaus Magnus pag. 367.) sit sentendum, quibus experiundi occasio atque animus relinquo.

Lemnius annotat (*t*) atque Swedenborgius (*u*) ex pomis aliisque rebus congelatis aquam frigidam, cui imposita sunt, glaciem extrahere, liquoribus eorum regelatis, aquâ verò pro parte congelatâ; æque ac aqua in lagenâ contenta & congrediata frigidæ imposita regelatur, concrecente alterâ.

Lemnii experimentum ipse etiam sumsi de pomo congelato frigidæ commisso, & post parum temporis glaciem superficii externæ pomi regelati adhærere vidi in formâ lamellarum, quales plurimæ apparent intra papaverum capita; pomi flaccidiore cute & pulpâ exteriore molliore factis.

§. 29. Quod attinet ad strumosos Colli tumores, quibusdam montium Accolis, ut Helvetiis, Rhætiis, Vallesiensibus, Transsylvania aliisque Endemios, habentur à quibusdam ut effectus aquæ nivalis plurimum potæ (*v*); sed nonne tum omnibus montanos tractus incolentibus, & aquas nivales ac fluviales potantibus, quæ magnâ pro parte liquatis nivibus debent originem, proprii esse deberent? Aliis placet ab exhalationibus mercurialibus, vel etiam iis aquæ mixtis hosce deducere (*w*). Sed id operationi Mercurii in corpore humano adversum esse videtur, quia non immerit ob summam diuisibilitatem in particulas minimas & gravitatem specificam ut potentissimum deobstruens medicamentum prædicatur, quo obstruktiones magnas brevi ac tutò referari constat, & tumores strumosos, scirrhosos, quin & carcinomata, solvi & curari posse optandum & in miserorum solatium ac salutem forsè non frustra cum prudentiâ experiendum est.

Qui in mineris Argenti vivi operantur & fabri, qui amalgamate auri & mercurii vasa argentea & ænea inaurant, non afficiuntur strumis in collo, sed quidem paralyxi membrorum, aliisque morbofis constitutionibus (*x*); & Mercurius non ob vapores proprios verùm ob partes salinas aliasve iis admistas evadit noxius; quare ad obstruktiones aperiendas (observatis monitis Clarissimi Gaubii in elegantissimo de Remediis formulis Libro §. 102. n. v. §. 111. 1.) potius in pilulis vel bolo, quam in pulvere aut aliâ formâ, adhibetur.

(*t*) de Occultis Nat. Miraculis Libri IV. Cap. 20. (pag. 433.) (*u*) in Prodromo Princip. p. 22. (*v*) Bartholinus de Nivis usu, p. 192. P. v. Musschenbr. in Ad. dit. ad Tentam. P. I. pag. 190. §. 10. (*w*) Bartholinus de Nivis usu, pag. 196.
(*x*) Rammazzini de Artificum Morbis, Cap. I. II. III.

tur. Fr. Hoffmannus, celeberrimus Germanorum Archiater, existimat aquam, calcarios montes alluentem, partes lapideas & metallicas secum vehentem, & per aliquod temporis spatium potam, non tantum in Indigenis sed & Advenis strumarum esse causam, quin etiam ad hujus mali generationem multum conferre acrem in illis montosis Regionibus „ frigidum ac penetrantissimum, qui succos „ in glaudulis cuti substratis, circa arteriam asperam facile incrassat, sat, eorumque liberum impedit transitum, unde tubuli, vascula, & pori succo viscoso infarcta tam grandem fistunt tumorem (y).

§. 30. Obstructiones, inflammationes, dolores saevissimos juncturarum, articulorum, suas natales debere frigori aeris & exhalationibus nivis penetrantibus §. 21. innuimus: à solâ pedum refrigeratione, ab eorum in aquam immissione & in eâ ob ambulatione inter piscandum, atque à perspiratione aliorum membrorum prohibitâ vel suppressâ, præter colicam, dirasque intestinorum constrictiones, spasmos, dolores, arthritidem, rheumatismum, lumbaginem, ischiatidem, podagram, chiragram, excitari non mirandum.

Observationes, Historiasque harum & supradictarum passionum, à frigore & perspiratione imminutâ exortarum, plures recentet Fr. Hoffmannus in utilissimo Opere de Medicinâ Rationali, experimentis Physicis fidelissimis, observationibus exactissimis Anatomicis, ratiocinio Mechanico & Hydraulico, ut solido & durabili Fundamento, innixâ.

Quin & inter Batavos Medicinæ Restaurator magnus Boerhavius, penetrantissimi ingenii, judiciique viribus maximis pollens, in se ipso vel medio Augusti 1722. fuit expertus; " quum (ut ipsissimi) mis Clarissimi Viri utar verbis (z) lecti tempore relaxata corporis Spiramenta antelucano negligenter friguscule, & penetrabilis irrigui roris humoris, exponens, vitam ferè perdidit; committens ita stulte in se, quæ, ut cum curâ caverent, aliis fideliter suaserat. Unde atrocissimis Arthritidis exquisitæ tormentis discruciatus, tandem resolutus jacuit, ut vix amplius sensus ullus, nullus utique motus, artubus inferioribus supereffret.

§. 31. Licet Nix, Congelata, Aër valde frigidus, Aqua gelida, sanitati hominum noxia esse deprehendantur, attamen frigida quandoque prosumt, salutaria & medicamentosa inventa sunt, ita

(y) Hoffmanni Operum Tomo vi. p. 202. §. 2. (z) in Sermone Academico habito 28 Aprilis 1729. pag. 32, 33.

ita ut, iritis plurimis remediis, solis frigidis morbi tollerentur & sanitas amissa restitueretur.

Scilicet Medicamenta, quamvis in quibusdam morbis profligandis magis aliis efficacia & Specifica praedicentur, non semper eundem in eodem morbo fortius intur effectum, sed quandoque varium & diversum pro modo & tempore applicandi, & pro diversâ eodem morbo decubentum corporis atque animi constitutione; quare, Ex: gr. Cortex Peruvianus, magnus ille intermittentium Februm debellator, aliquando Quartanam vel non extirpare valet, vel febre pulsâ sanitatem remoratur; vel floribus Chamæmeli, aliisve remediis victoriam tutam cedit, referente Baglivio.

§. 32. Vis & actio Medicamentorum in Corpore vivente semper est eadem atque constans, effectus vero operationis eorum est diversus pro diversitate constitutionis vasorum & humorum corporis. Vis & actio Caloris Solis est constantissime eadem, nam omnigena corpora terrestria ipsi exposita calefacit; ceram hac actione liquefacit, lutum eadem actione indurescit.

Sic medicamenta Diaphoretica sanguinem attenuant, spirituum secretionem augent, circulationem humorum promovent, obstructiones in vasibus minimis subcutaneis solvunt, tenuum humorum exhalationem uberiorem procurant; econtra diaphoresi diutius quam par est protracta sanguis incrassatur, humoribus lento inducit, spirituum secretio minuitur, circulatio sanguinis & humorum retardatur, vascula minima obstruuntur; nempe ob exspirationem plurimi tenuioris humoris, atque mutantam remanentis quantitatem & qualitatem.

Ira etiam pro variâ humani corporis constitutione frigida vel morbos provocant, vel sanitati recuperandæ ac confirmandæ conferunt. Frigus constrictione vasorum salutares excretiones retardare & supprimere non mirum; idem vero excretiones easdem augere vel etiam provocare rationi rectæ & observationibus analogum est.

Iis, qui Mechanicæ applicati frigi Operationi animum advertunt, Freindium adducere testem forsan sufficiet, qui in Emmenologiâ, subacti-ingenii & scientiæ Physices purioris Opusculo, refert Capite IX quod frigus constringendo vasa, humorum motum minuendo, stagnationem & visciditatem iis inducendo, feminarum menstrua vel retardat vel etiam supprimit, & contra sub fine illarum profluvii, etiam si cessare videatur, frigus ceteras corporis partes repente corripiens, catamenia provocat. Nempe Plethora fluxu consueto imminutâ, frigus inopinato accedens vasa corporis exteriora

coarctat, liquida ad partes interiores pellit, & impedita perspiratione ad vasa majora & præcipue in Aortâ redundare facit, quæ in feminis multi sanguinis capax ob plenitudinem majorem & contractionem validiorem sanguinem ad Uteri vasa & oscula adhuc patula determinat, atque frigore ortam Plethora m imminuit.

§. 33. Frigus ac frigida eaque sicca vel humida corporibus firmis, beneque valentibus visceribus, longe alii in edunt effectum, quam in corporibus debilibus & visceribus morbosis; quippe priorum robur & vigorem augent, circulationem humorum & diuresin promovent; posteriora, retentis humoribus, eorum motu & perspiratione imminutis, tonum magis relaxant & infirmant; qua de re præter Sanctorium & Keilium, in Staticâ Medicinâ, videri possunt Fr. Hoffmannus operum Tomo 1. pag. 266. 267. & præcipue Clarissimus J. de Gorter in Compendio Medicinæ & tractatu elegantissimo de Perspiratione insensibili Sanctorianâ.

Frigus siccum & lentè accedens haud ita nocet, ac humidum inopinato & cum vehementia feriens: unde aura frigida per rimam fenestræ excepta, capiti gravitatem, dolorem, catarrhum; gutturi raucedinem, tussim; pectori asthma; &c. vel firmo corpori inducere valet. Boerhaave Chem Tom. 1. p. 194.

§. 34. Vasorum, Viscerum, humorum constitutiones morbosæ quandoque requirunt, ut tollantur remediis frigidis, quæ vasa & orificia nimis patentia contrahendo, motum humorum intestinum nimium seu calorem imminuendo, sanguinis partem condensando, deinde totam humorum massam diluendo, lentorem tollendo, obstrunctiones referendo, spasticam constrictiōnem vasorum relaxando, fibras emolliendo, operantur; quare aer, aqua, medicamenta frigida, vel & nivis, glaciei, nitri, salis ammoniaci, vitrioli, aluminis ope vel etiam admistione frigefacta; quin etiam nix, & glacies, parti applicata, vel intra corpus assumta, aliquando præstantissimos effectus in sanitatem præbent, atque in sistendis haemorrhagiis, & excretionibus nimiis; tollendis febribus; solvendis obstructionibus, inflammationibus, spasmis, doloribus, egregiae utilitatis comperiuntur.

P. A. Michelottus in Actis Philosophicis Anglicanæ Societatis communicat cum publico exemplum vomitus sanguinis largi, post vehemens venandi & equitandi exercitium oborti, saepiusque repetiti, &, hirudinibus ad vasa haemorrhoidalia exoneranda, succo plantaginis cum nitro, succo urticæ cum opiatibus, aliisque constringentibus & incrassantibus frustra (ut

videbatur) adhibitis, feliciter sanati sumptis sœpius, sed paucâ in quantitate, aquâ frigidâ, & potionibus glacie frigefactis, vel etiam congelatis: Utpotè quibus vasorum ventriculi arteriosorum oscula dilatata constringebantur, sanguis condensabatur, & ejus intestinus motus minuebatur.

Narium Hæmorrhagia nimia, morbosa & sanitati adversa, aquæ frigidæ improvisâ aspersione in faciem vel collum quandoque sistitur, quia constrictione repentinâ cutis vasorumque exteriorum frigoris sensum ac horrorem excitat, & hinc sanguis ad interiores corporis partes & in vasa ampliora pellitur, sicuti Riverius optimè ratiocinatur. (p. 229. Col. 2.)

§. 35. Sanguinis excretiones nimias & diuturniores ex vasis hæmorrhoidalibus, vel & ex feminarum partibus generationi dicatis, usu externè applicatorum & injectorum frigidorum, ut aceto, vino rubro austero, succo urticæ & plantaginis, & similibus adstringentibus vasa, incrassantibus sanguinem, si supprimere necessarium est, id fiat cautè, nec gelidis, ne stagnent, condensentur nimis humores, abeant in polyposas concretiones: vel etiam cum externis medicamina interne assumenta jungantur, plethora Venæ sectione minuantur, nitrosis motus & impetus sanguinis mitigetur, adstringentibus ac incrassantibus malo obviam eatur.

Ita etiam vel frigida sola vel ei admixtum Vitriolum, alumen, Caphura &c. ad constringenda vasa externa oculorum in Lippitudine plus solito patula & humorem acrem excernentia, conductit:

Choleræ, Colicæ, Diarrhææ, Dysenteriæ, ab acreidine & abundantia bilis cysticæ in intestinis, & à pungente putridâque materie æstivis ardoribus, potu aquæ frigidæ diluente plerumque succurrunt ac medetur.

§. 36. In Febris acutis, ardentibus, biliosis, exanthematicis; lentis, hec̄ticis; continuis, intermittentibus; à materie lenta viscidâ; ab humore acri vel putrido, quantæ utilitatis aqua, eaque impense frigida sit, testantur Principes Medici, felicissimi Pætici; Hippocrates, Galenus, Aretæus, Alpinus in Causo seu Ardente frigidum laudant, sicuti perhibet Clarissimus Hoffmannus operum Tomo 2. pag. 113. qui & in Synocho & Tertianâ eam calidæ multum præstare non immerito existimat. Lommius in continuarum statu exhibit: Riverius in hec̄ticis, putridis, & æstu febrili cum Oleo vel spiritu Vitrioli, pag. 424. 432. unde aer frigidus & frigefactus prodest, & aquæ acidulæ minerales obstrunctiones in lentis, hec̄ticis, putridis referare dicuntur: neque mirum, quia

Aqua

Aqua frigore constringit & roborat vasa Ventriculi & Duodeni, forsan plus solito liquores fecernentium & mineram febrium diversarum suppeditantium, & revera diluit acredinem, crassos liquores, sitim restinguat, aestum temperat, & omnia corporis vascula intra re & poros pervadere apta nata est; cum nitrosis aliisque salibus lentorem & obstructiones citò solvit; cum iisdem & caphurâ inflammationibus resistit; cum acidis ut spiritu, oleo sulphuris, &c. putredinem arcet vel imminuit, & criticæ perspirationi & expulsioni materiem morbosam disponit.

§. 37. Eximiæ Virtutis comperta est Aqua frigida cum Nitro in Raucedine vocis & Catarro ad vasa obstructa aperienda; humorem lento, stagnantem, acrem, incidendum, educendum; tumorem tollendum, vasa nimis extensa & patula contrahenda, roboranda, & in iis circulationem seri, lymphæque, restituendam.

§. 38. Non minus ejusmodi frigida prædicatur in quibusvis obstructionibus ac inflammationibus incipientibus, præcipue in Anginâ, Arthritide, Podagrâ, Rheumatismo, Dolore capitis, dentium, aurium, oculorum cum rubidine ac Inflammatione; cum nempe in corporibus non plethoricis vel plethora sanguinis missione imminutâ, sanguis vix adhuc stagnat, tenuiores humores nondum exinde expressi, crassiores a tenuioribus non separati, nec in polypos concreti sunt; vasa extensa & tumida sese validè adhuc contrahere queunt; & prævideri ac caveri potest, ne humores intropulsi intra viscus aliquod accumulentur, detineantur, stagnent, corrumpantur, ægritudines majores, magis periculosas, chronicasve causentur. Unde Gutturis inflammationem, calorem, deglutitionem difficultem sustulisse glaciei in ore volutationem & liquationem Th. Bartholinus notat; qui rustico more Anginæ incipienti mendentur, medicamento valde adstringente tumorem discutere nituntur; & aqua cum nitro, sale prunellæ seu polychresto, spiritu vel Oleo sulphuris vel Vitrioli, alumine, & similibus, in ore detenta, gargarisata, deglutita præstantis virtutis in Anginâ, inflammatione œsophagi, Ventriculi, intestinorum, observata est.

§. 39. Hippocrates in Aphorismo XXV. Sectionis quintæ observat, " tumores in articulis, & dolores absque ulcere, & populos, & convulsiones, horum plurima, frigidâ multâ affectu, levare, & attenuari, & dolorem solvi: & Aph. XXI. " Sectionis V. tetanum absque ulcere, in juvene benè carnosò, æstate mediâ, frigidæ multæ affusionem caloris facere revocationem.

Clarissimus Fr. Hoffmannus Epilepsiam hæreditariam Aquâ frigidâ sanatam , Operum Tomo III. pag. 16. §. 3 ; & balneum aquæ frigidæ motum sanguinis augere & in paralyſi obſtructions reſerare , perhibet .

§. 40. De Maniâ quid dicam ? nonne Experientiâ conſtat , aquæ frigidæ multæ ſaepius iteratam in furiosos effuſionem & balnea impetuofos Spiritus compescuiffe ; inflammationem cerebri & membranarum feliciter fufculiſſe ; & his ac melancholicis mentis rationiſque rectæ uſum reſtituiſſe ?

Ex hiſce breviter propositis , neque ample diuertiſtis , maniſtum eſſe existimo , quam Noxia , & Salutaria ſint Frigida & Gelida corpori Humano viventi ; & quomodo varias ægritudines cauſentur , ac tollere valeant ; ideoque Dissertationi huic impono finem .



T H E-

THESES SEPARATÆ.

*Lithontripicum Johannæ Stephens, duros lapides haud
quaquam ; friabiles, leviter cohærentes, non nisi
usu diuturno solvere posse videtur.*

*Cortex Peruvianus ut corroborans, deobstruens, & humo-
rum circulationem promovens, præstantissimum ad-
versus gangrænam Remedium.*

*Apparatus ad aquam Hydropicorum educendam, in
Aëlis Edinburgensisibus descriptus, ceteris multum
præstat.*

*In Puncturâ Nervi, tendinive, ut humores ex parte
vulneratâ effluere possint, vulnus teneatur in cute
apertum, donec sanatus sit nervus vel tendo; ita ca-
vatur humorum in membranam cellulosam & musculos
influxus, tumor, dolor, inflammatio, & sympto-
mata perniciosa.*

*Cui usui in animantium liquido seminali sint multa mil-
lena animalcula caudata hactenus ignoratur.*

THE SEPARATE

THESE ARE THE
SEPARATE
WITNESSES
TO THE
GOSPEL OF
JESUS CHRIST
AND THE
REVELATION
OF JESUS CHRIST
IN THE
BOOK OF
REVELATION
THESE ARE
THE SEPARATE
WITNESSES
TO THE
GOSPEL OF
JESUS CHRIST
AND THE
REVELATION
OF JESUS CHRIST
IN THE
BOOK OF
REVELATION

